Erat enim ſpecialis aſſertor eius et amator validus. At ille mane prima ad eum cum reliquiis cum accederet. Exper in amplexus apparuit et pape aſſurgens. ex illa hora melius habere cepit. Et cum in brevi qualescunque reliquiis baptiſte et multorum ab apoſtolico donatus ſanctorum ſoſpes domum rediit. et permiſſo burkhardi tunc abbatis et dote ecclesiis illis decora paravit. ¶ Multa de eo preterea dicenda ſunt. Sed prius a quo ſpiritu ductus ſit. ex omnibus illius noſtri licet. Scripſit enim doctus ille ſequentias. Prompta mente canamus. Summi patroni christi. Qui benedici cupitis. A ſolis occaſu. De ſancta afra antiphonas ut reliquias eius mereretur. Lutoldo epiſcopo et ſequentiam dictavit. Hymnum O martir eterni patris. ambulans itaque. Adoremus glorioſiſſimum. Scripſit et in ſcolis metricos magiſtros vacillanter quidem quia in aſſertione non in habitu erat puer. vitam waltharii manu fortis. Quam magontie poſiti Aribone archiepiſcopo iubente: pro poſſe et noſſe meo correximus. barbaries enim et ydiomata eius teutonem adhuc affectantem repente latinum fieri non patiuntur. Unde male docere ſolent diſcipulos ſemimagiſtri dicentes Videte quomodo diſertiſſime coram teutone aliquo proloqui debeat. et eadem ſerie in latinum verba vertite. Que deceptio ekkehardum in opere illo adhuc puerum fefellit. Sed poſtea non ſic ut in ludio chaerero mammito ayole ut vincendi. ipſe quoque oppoſuit. || Obtulit autem ille ſancto gallo ad monachatum quatuor ex fratribus vel ſororibus nepotes ſuos. duos ſibi equivocos. Burkhardum quoque poſt abbatem. notkerum magiſtrum meum. Et horum quiſque eccleſie dicendus ſit ſpeculum. de quibus loco ſuo memoriter [illegible] ſua dicemus. Ungaſce enim corporum libro ſuo ſufficeret. Tales palmites dum vitis illa iam mitteret. bene matura in die felicias in primas vindemiata est ipſa. Talis autem luctus de obitu hominis erat. ut decanus poſt illum ymmo poſt que abbas. ipſe ad ſanctum michahelem ubi liberius eiulare poſſet. eo tempore eius in feretro poſito ſecederet. ita vociferans Vide domine et conſidera quem vindemiaveris ita. Et hiis quidem pro digreſſione dictis ad cralow redeamus. Unus ekkehardum hic deſiderium ad facta ſua inſignia mox reſuſcitabimus. Cralo autem cum in dies viribus deficeret et iam ſepe victor[illegible] milites ſui ſeueritate fruſtra pro ſe porrigeret armis infra foribus commanens

cuſtodit. Tandem vero communi conſilio. reſponſa totius abbacie committit ekkehardo. Ipſe autem in [illegible] exercitium contra equitans. ibi in lectum decidit. Videns autem finem vite adeſſe ekkehardum cum fratribus ſeniores conſiliis evocans. diſpoſuit domui. et ipſe poſſe abbatem eligere. facile omnibus perſuaſis. viam omnium ingreſſus eſt. reportatusque cenobium honorifice ſepelitur. || At ekkehardus ottone apud anglos cum adaltage rege in ſororum ſocero ſuo aliquamdiu agente. ut iunctis viribus chnutonem danorum debellaret regem. habenas abbacie ſic ſub abbate vivo ſolebat. uſque ad cognicionem imperii ſtrenue regebat. Accidit autem ut quadam die foras iturus ante portam equo in glacie lapſo. tibiam pedemque confringeret. hiis que non recte coagulatis. per modum claudicaret. Qua cauſa electionem ſuam omnium fratrum concordia in burkhardum unanimem ſuum tranſtulit. de quo ſupradiximus de quo et adhuc aliquis quedam repetere habemus.

De burkhardo ingenito et parentibus eius

Udalricus quidam comes de karoli proſapia wendilgartam henrici regis de filia neptim uxorem accipiens. Adalhardum quem gallo altſtetten poſt tradidit. de ea et filiam procreavit. Hic nunc buchorn ubi habitavit accepto. Ungros noricum. ubi predia ei erat irruere. hoſtes cum ceteris bello aggreſſus. victus capitur. et in ungariam captivus aſportatur. Qui autem ungros agarenos putat. longa via errat. ¶ Wendilgarth vero que viro ut fama erat occiſo vidua. ad nuptias petita nutu dei nubere noluit. Sed ſalomone rogato. ad ſanctum gallum greſſit. ubi ſibi iuxta wiborada. caminata conſtructa. de ſuo vixit. fratribus et pauperibus patria viri quaſi defuncti multa largitur. Dulciaminum autem cum eſſet avida et novitatum ſemper appetens. uti delicate nutrita. et hiis aſſueta. increpata eſt a wiborada. quod non eſſet ſignum pudicitie in femina appetere varia cibamina. Quadam autem die ante clauſulam virginis cum ſediſſet ad colloquia. poma ſibi dari ad veſcendum. ſi dulcia ibi haberet petiverat. Quibus pauperes utuntur illa ait habeo pulcherrima. proferens que mala de ſilva acidiſſima inhianti et de manibus ei rapienti reliquerat. At illa vix unum dimidium ore et oculis contractis vorans. cetera proiciens. auſtera es ait. auſtera ſunt et mala tua.

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 197v – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/fr/vad/0070/197v)